

Dissertatio chemico-medica de vinis lithargyrio manganisatis ... / publico eruditorum examini submittit Johan Henric Engelhart.

Contributors

Engelhart, Johan Henric, 1759-1832.

Publication/Creation

Londini Gothorum [i.e. Lund] : Typis Berlingianis, [1777]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ddef8rec>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Lo

Dissertatio Chemico-Medica
De
**VINIS LITHARGYRO
MANGONISATIS**


Quam
Adfulgente Divina Gratia
Consentiente Experientissima Facult. Medica
In Alma Gothorum Carolina

PRAESIDE
Doct. CHRISTIAN WOLLIN
MED. REG. MED. ET CHEMIAE PROFESS. ORD.

Publico Eruditorum Examine
submittit,
JOHAN HENRIC ENGELHART
Gotthoburgensis.

Die XXX Aprilis Anno MDCCLXXVII.

L. H. Q. C.



LONDINI GOTHORUM
TYPIS BERLINGIANIS.

Admodum Reverendo atque Præclarissimo

Domino

Mag. ANDREÆ RHEDIN

Animarum quæ Deo in Östad colliguntur

Pastori Vigilantissimo,

Informatori suo olim Indulgentissimo,

In humillimi gratissimique animi tesseram, cum calidissima omnis generis felicitatis appreciatione, ob summam in se præstitam curam atque sollicitudinem, hocce opusculum

D. D.

JOHAN H. ENGELHART.

§ I.

Principia Vinorum.

Vina, in universum spectata, Varia continent Principiorum genera. Primum est *Principium Aqueum*. Commode per congelationem separari potest Aqua superflua. Si enim quatuor vel plures mensuræ Vini generosioris in Vase exponantur amplo patente, tempore hyberno, & frigori minus aspero permittantur, tum magna pars aquæ in glaciem solidatur, fluida remanente portione Vinosa. Glacies hæc, a liquido Vinoso liberata, diffluit loco tepido in humorem penitus aqueum. Vinum autem concentratum tot vicibus fortius est Vulgari,

A

quot

quot partes aquæ superfluae ablatae sunt. Alterum Vinorum Principium est *Spiritus Ardens*, qui sese manifestat. quando Analyfi Chemica Vinum pertentatur. Ex Vesica per Alembicum destilletur leni calore Vinum generosum. Liquor prodibit pellucidus, in igne ardens. Hoc quando ulterius non facit, a Destillatione cessandum. Spiritus hic Ardens, in Excipulo obtentus, per repetitas Destillationes rectificari potest, ut maxime fiat inflamabilis. Vinum eo est generosius, quo plus hujus Principii in sinu gerit. Tertium Vinorum Principium est *Sal Acidum Vegetabile*. Acida Vinorum genera acorem continent apertum, Dulcia autem Acidum foveant occultum, oleosa Vini parte dulcificatum. Mineralia Acida, cum Spiritu Vini digesta & destillata, ita ab oleosa Spiritus Vini parte dulcescunt, ut cum Salibus Alcalinis non effervescent. Fructus immaturi, tempore Vernali, austerum & acidum habent saporem, ad maturitatem vero provecti gratum ac dulcem præbent saporem. Dulcificatio hæc naturalis consistit in Olei spirituosæ intima cum Acido combinatione. Sacchari dulcedo Acido debetur mucilaginosæ & oleosæ partibus obducto. Saccharum enim Destillationi subiectum magnam linquit Acidi portionem, Oleum & residuum Carbonaceum. Si jam a Dulcioribus Vinis Spiritus Ardens abstrahatur, liquor residuus acerbum tenet saporem, qui per Destillationem naturam suam Acidam ulterius commonstrat. Quartum Vinorum Principium statuitur *Oleum*. Post memoratam abstractionem, si liquor Vinosus destilletur, non solum
Acidum

Acidum transcendit, verum etiam Oleum quoddam Empyreumaticum foetidum. Hinc recte concludimus ad praesentiam Principii Oleosi in Vinis. Quintum Vinorum Principium est *Terra*, quum Caput mortuum Vinorum, post Destillationes relictum, Terram contineat, & per combustionem, haud exiguum largiatur Alkali fixi quantitatem. Vina ergo composita sunt ex Spiritu Ardente & Acido quodam Tartareo, una cum partibus Oleosis & Terrestribus, multa Aqua dilutis.

§ II.

Corruptio Vinorum Acida ab injuriis Aëris.

Quamvis exactissima adsit proportio ac mixtio dictorum Principiorum, notabilis tamen labes Vinis inducitur ab injuriis Aëris. Nemo facile ignorare potest, quanta potentia Aër corpora alterare mixtorumque crases destruere valeat. Ipsi lapides ab injuriis Aëris Ventorumque non liberantur. Silices molliores fatiscunt & in Cretaceam terram successive destruuntur. Inter Saxa Granites fuscus aëre est destructibilis, qui primum rimas & fissuras suscipit, dein paulatim in frustula quadratica solvitur, ac tandem in Sabulosam abit consistentiam. Lapides Calcarei Aëri expositi fiunt porosi & fragiles. Cos. quæ cum Acidis effervesceat & calcareo vel margaseo gaudet glutine, facile in Aëre destruitur. Schisti tardius

vel citius diruuntur, Colorem nigri perdunt, fuscum assumentes. Reliqui in cinereum vel griseum mutantur, tandem vero aut in pulverem aut in squamas decedentes resolvuntur. Multa mala oriuntur, si Chirurgi vulnera ab Aëris excessu non custodiant. Aquæ Acidulæ omnem virtutem perdunt, si liber Aëris accessus concedatur. Hinc Vina omni cura ab Aëris liberiori accessu defendantur, quum Aër æstivus, si tempestas diu fuerit pluvialis, Vina mutare & fermentationem excitare valeat. Circa illud tempus, quo Vitis floret, Aër mobilissimo calore agitatus ita fermentationem Vinorum aliquando irritat, ut alia ex doliis effluant, alia Vasa disrumpant, plurima autem acorem contrahant. Si quærat ratio physica, ex abstrusis ac reconditis fermentationum legibus conjicere liceat, quod Aër elasticus, calore incitatus, fixatum in Vinis aërem e Vinculis liberet, unde motus oriatur intestinus. Sub hoc motu intestino Sal Acidum extricatur & nova compositione generatur. Manet quidem Spiritus Ardens, sed ab Acido prævalente maxime refrenatur, novimus enim Acetum Vini, quamvis spirituosum, nullas habere inebriandi vires. Nec ignoramus, quod Acetum Vini per Destillationem, balnei calore, phlegma det acidulum spirituosum, nullum autem Spiritum ardentem. Inter illa, quæ fermentationem Vinorum sedare possunt, Sulphuris accensi halitus primum tenet locum: Linteamina fuso Sulphure obducta accenduntur in doliis vacuis, Vino fermentante implendis. Vina autem rubra Sulphur non ferunt, quum color Vini rubri inde destruat. Interim ta-

men

men sub certo aëris statu frequenter contingit, ut Vina remediis non obediant, fermentationem subeant Acidam & corrumpantur.

§. III.

Periculosa Methodus Acori Vinorum dulcedinem conciliandi.

Quando Uvæ, propter aëris inclementiam, maturitatem ac dulcedinem suam non adipiscuntur, Vina fiunt immatura & austera. Optima etiam Vinorum genera per subitam fermentationem acorem contrahere demonstravimus, unde gratum saporem, odorem & virtutem suam perdunt. His in casibus Oenopolæ Vina acida, aspera & austera, ad bibaculorum palatum, accommodare affolent passulis majoribus & Saccharo. Ex hac Dulcificatione nihil quidem detrimenti in corpus humanum redundat, fraus tamen est, quæ inter laudabilia artificia vix recenseri debet, quum acorem non corrigat, sed tantum occultet. Atrox vero illud est Artificium, quo, temerario ausu, ope *Lithargyrii* Vina Acida & austera grata atque dulcia reddunt Nebulones. Plumbum continuata Calcinatione abit in Vitri Genus, & in squamas flavicantes, rubellas secedit. Venit hoc sub *Lithargyrii* nomine, quod in se nihil aliud est, quam Plumbum semi Vitrificatum. Nonnulli Lithargyrium pulverisatum Vinis immittunt. Alii Tincturam *Lithargyrii* Vinosam certa dosi Vinis immiscent. *Lithargy-*

thargyrium, in Acidis Vegetabilibus solubile, dulcem ipsis conciliat saporem, quum ex Acido Vegetabili & Lithargyrio producatum Saccharum Saturni. Acetum enim Lithargyrii saturatum si ad cuticulam evaporatur, cogitur in massam Saccharini saporis, ex cristallis coagmentatis conflata, quæ nomen habet Sacchari Saturni. Lithargyrii qualitas, Aceto dulcedinem concilians, occasionem dedit pestifero illi Mangonio, quo Vinis acerbis Lithargyrium adjiciunt. Mangonium hoc colorem Vini non mutat, fermentationem retardat, & Vino dulcedinem ac suavitatem confert. *Minium* easdem possidet proprietates, sed quum tardius ab Acidis solvatur, Lithargyrium potius adhibetur. *Cerussa* eundem præstat Dulcificationis effectum, quum autem in venundando Cerussa sæpe Creta adulteretur, Lithargyrio palmam deferunt.

§. IV.

**Vinum Lithargyrio Mangonifatum
pessimos inducit Morbos.**

Vinum Lithargyrio mangonifatum varias turbas & symptomata movet. Variant illa, nec omnia, pro diversitate subjectorum, temperamentorum, constitutionum, roboris, aut passionum, quibus obnoxia sunt corpora, uno modo sese habent. Præter consue-
ta & familiaria quoque particularia ex Observato-
rum pandectis eruuntur. Nos autem brevitati litan-
tes non nisi palmaria capita in medium proferre
volu-

volumus. *Ephemerides Nat. Cur. Dec. III.* longius evolvunt Artificii arcana. Variis nimirum præterlapforum Seculorum annis, cum ad Rhenum crescentes Uvæ ad maturitatem haud pervenissent, Vinaque reddidissent acida austera, Vinarii musta hæc Falerna, ut palato magis accepta & vendibilia facerent, Lithargyrio mangonifarunt, quæ quidem res Oenopolarum ex voto successit, sed magno detrimento sanitatis bibentium. Correpti enim alii atrocissimis fuere Colicis doloribus, quos artuum dolores Vagi, arthritici, pareses, Ventris inflationes, continuæ constipationes, ructus, anxietas præcordiorum, asthma, capitis dolores, deliria & ante obitum convulsiones aliaque molestissima symptomata exceperunt, quæ ab ILSE-MANN de *Colica Saturnina* recensentur. Alii quidem Colicis doloribus liberati ab omni dein malo immunes manserunt, alii vero illis sublati, in membrorum imbecillitates & paralyfes inciderunt, ab iisque morbis diu vexati sunt. Narrat GOEKELIUS se, postquam sinistro casu ejusmodi Vinum mangonifatum hauserat, colicis doloribus febrique putrida correptum fuisse, ad quem adfectum profligandum integrum semestre consumsit. Testatur quoque ingenuus HOFFMAN in *Med. Rat. System. T. II.* a Vinis Lithargyrio dulcificatis gravissimos stomachi & intestinorum dolores colico convulsivos excitatos fuisse. Hanc rem clarissima luce collustrat *III. Van SVIETEN in Comment. §. 1060*, ubi asserit se frequentes habuisse occasiones *Colicam Piætonum* videnti, & licet non neget, illum morbum ab aliis causis

sis nasci posse, tamen frequenter observavit hunc morbum in illis, qui præparatis plumbeis operam dabant. Vidit integram familiam hoc morbo laborasse, dum ad culinares usus adhibebatur Aqua, in magno receptaculo plumbeo collecta, & diu hærens. Observavit hunc morbum frequentius in opulentis hominibus, qui exquisitissima Vina magno satis pretio redemerant in usus suos, forte plumbo admisto edulcorata. Vidit nobilem Juvenem, cui pro curanda gonorrhœa datum fuerat Saccharum Saturni ad drachmam singulis diebus in emulso, & quidem per decem dies continuos, in hunc morbum incidisse, unde tamen, licet aegre, evasit. Calculum suum adjicit Cl. ZELLER: observavit homines quosdam, qui Vino mangonifato sese ingurgitarunt nimium, dolores capitis enormes passos fuisse, deliria & furorem quasi maniacum. Nonnullos attentis oculis perlustravit, qui Vinum Lithargyriatum pro potu quotidiano parva portione hauserant. Initio quidem nullum percipiebant malum, sensim autem sensimque varia experiebantur mala leviora, successive vero dolorem hypochondrii sinistri, ventriculi gravitatem, inflationem & tabem sentiebant. Alius robustior pariles stomachi dolores, tolerabiles tamen sustinuit, ab initio mox cessantes, mox redeuntes. Dolori circa præcordia, de quo tamen primis annis graves quærelas agere noluit, asthma successit perpetuum, certis temporibus suffocationem minans, intermedio tamen tempore respiratio facilior erat, ita ut operæ suæ vacare posset. Crevit autem Asthma, pedes intumuerunt, evanuit appetitus,

tus, corpus multo sudore diffluit, pectus aqua replebatur, donec rupto Ventriculi abscessu, sanguineque cum multo pure rejecto obiit. Alius, ab eodem ZELLERO in scenam adductus, in tormina leviora Ventriculi incidit, quæ, postquam sese Vino mangonifato inebriasset, adeo acuta fuerunt reddita, cum tanto ardore, quasi continuus ignis Ventriculum ureret, ut vix eadem tulerit. Febris hinc accendebatur continua, cum deliriis, perpetuo Ventriculi ardore, & dolore certi alicujus spatii in sinistro hypochondrio. Diu miseram vitam aeger traxit, totus contabescens. VICARIUS in *Ephem. N. C. Dec. III.* pulchras suas ab experientia depromtas communicavit observationes: *omnes quotquot biberunt, constrictionem gulæ & compressionem, dolorem, ac ulcerosam dispositionem, ut sibi ipsis videbatur, ventriculi ac præcordiorum patiebantur, quibus accessit, nescio, quæ colica & circa Ventriculum & circa Umbilicum, hinc & excrementa in scybala cogeantur, conquerebantur multoties de flatibus molestis, qui tamen nec sursum nec deorsum efflabantur, excepit priora symptomata vehemens & inanis tam dejectiendi, quam urinandi conatus & tenesmus. Urina penes tinēta erat, ac continuo turbabatur. Pulsus erat durus & tardus, æqualis tamen, flavescbat albugo oculorum, genæ solæ rubebant, facies cætera virorem judaicum præ se ferebat, siccescebat os ac vomituriebant, anxique insigniter toto temporis decursu erant, quam anxietatem adauxit horrida & insignis cordis palpitatio.*

Obs. Excusaverunt nonnulli Mangonium Vinorum, & quidem ex eo capite, quod interne commendetur Saccharum Saturni contra Hæmoptoen, Hæmorrhagiam, Mictum cruentum, Gonorrhoeas, Fluores albos, & similia, tum etiam pro mitificante remedio contra acria sanguinis, sed candide fatetur magnus BOERHAAVE in *Elem. Ch. T. II. Pr. CLXXIII.* se nunquam aulum fuisse facere periculum, quam novisset vix dolosius haberi, tetrumque magis Venenam, quam a plumbo in Acidis soluto. *Hinc, inquit, lethale, nec facile postea sanandum Venenum corpori inducitur.* Si aliquis de noxis Sacchari Saturni dubitaverit, reminiscatur oportet, ex Saturni Saccharo, cum exigua additione volatilioris cujusdam corrosivi, parari lentissimum Italorum Venenum, *Poudre de succession* dictum, quod canibus aliisque animantibus propinatum, eadem insensibiliter, citra omnia violentiora symptomata, post decursum aliquot septimanarum aut mensium enecare valet. Crediderunt alii Vinum Cerasa mangonifatum minus esse periculolum, quum Cerasa intimam acrimoniam non teneat Sacchari Saturni, sed respondemus Cerasam, ut Plumbum e Vaporibus Aceti calcinatum, in Vinis acidis & austeris naturam assumere Sacchari Saturni. Ceterum ipsa Cerasa venenata est indolis. Vires ejus malo experimento periclitatus est Exper. Doctor THUNBERG in *Act. Stockholm. 1773.* Sedan jag lämnat Amsterdam, och antrådt resan til Cap, at derifrån vidare komma til Java och Japan, både de första dagarne den casus, som jag nu bar den äran, at til Kongl. Vetenskaps Akademien insända, om den verkan, som Blyhvitt haft i människans kropp, då det af oförsigtigbet blifvit nyttiadt i mat, 1772. den 4. Januarii
baku-

bakades om aftenen pannkakor, hvartil Skepps prästen, som på desse skeppen ofta besörjer om, hvad hvarje dag skall ätas, hade af förseende gifvit hälften mjöl och hälften Blyhvitt, af en kruka, som ej röjde sig för honom med sin tyngd. Pannkakorne voro tunna med bruna brände fläckar här och där, men för öfrigt sågo de hvita ut, och så torra, som om deri ei varit en enda smör-bit. Kocken som misstänktes hafva illa bakat dem och sparat smöret, blef derföre inkallad och fick bannor. En pannkaka äts dock af hvarje Däcks-officerare vid bordet. Smaken var endast litet sötaktig, och annars ej oangenäm. De öfriga pannkakorna ätes af Koks-mästaren och poikarne, så at in alles 20. personer häraf hade fått sin portion. Effekten derefter var den, at somlige kräktes deraf straxt; andre nättén derpå och belä den följande dagen, då Blyhvittet, helt mörkgrått, sank til botnen i kårilet. De, som fingo kråkas samma aften, blefvo materien quitte och voro sedan friske, som hände alle poikarne. Åtskillige af Officerarne, sedan de fått gifva öfver, hade ej vidare olägenhet deraf. Förmodeligen hafva de ätit af de pannkakor, som först blifvit bakade, och således innehöllo mindre Blyhvitt. Andre åter fingo dyrare betala sin måltid, dem jag vil särskildt omtala. Capitainen mädde, efter kräkningen, ett par dagar väl, men fick sedan en Colik, som icke lindrades, hvarken af emollientia externa, emollierande drycker eller clystirer, utan continuerade 2:ne dagar; då gafs en dosis Laud. liquid. Syd. om aftenen, hvaraf Coliken aldeles gick bort, utan at Han sedan haft vidare någon olägenhet. Ingen var starkare plågad, än jag och Skepps-Prästen. Emot mörgonen den 5. Jan. började jag först få kräkning, som continuerade nästan belä dagen, så at

jag in alles bade imellan 30. och 40. upkastningar, hvaraf i kärilet bade satt sig vid pass 4. eller 5. matskedar af ett brunt sediment eller Blyhvitt. Den pannkakan jag åt, var en af de öfversta på fatet, bade således ibland de sista blifvit bakad, och inneböll derföre mycket Blyhvitt, hvilket, enligt sin tyngd, i krukans nedsunkit til botnen. Jämte vomitus, bade jag Colik, som dock ej var mycket stark. Redan samma dag svullnade tandköttet vid tandrötterna, och satte sig liksom knylar, de där säkert inneböllo Blyhvitt, och voro belt öma och bärda. Likaledes svällde körtlarne, så i munnen som under bakan. Spotten var ganska seg, och tungan belt brunaktig. Med ymnigt drickande lättade och befordrade jag upkastningen, och nyttjade ett emollierande gargarisma, at lindra svulnaden i munnen. Den 6:te Jan. fick jag en fullkomlig, men lindrig spottning, och munnen sårades inuti, i synnerhet vid sidorna, med en elack stark utur munnen. Öfver tänderna satte sig ett gulaktigt slem, och urinen var rödaktig och brandgul. För at draga materien nedåt, intogs ett Laxans. Den 7:de continuerade spottningen lindrigt, och sären i munnen blefvo belt gula. Den 8:de mädde jag bättre, men natten därpå inflammerades ögonen, som dock af frottering med ögonlocket gick öfver; tårarne flöto sedan dagen derefter ymnigt til, voro skarpa, frätande och adstringerade huden: Högra sidan af ansigtet svullnade up, med en Örvärck, som var ganska besvärlig, i synnerhet under spottens nedsväljande, och gjorde,

gjorde, at jag med största svårighet kunde dricka, men omöjeligen tugga eller svälja något solidt. Mot middagen syntes på fingrarne upsvällde röda fläckar, större och mindre, utan särdeles ömbet, hvilke gingo efter några timar bort, och visade sig åter efter ett par dagar. Den 10:de var svulnaden i balsen borta, och materien drog sig då till magen, och förorsakade å nyo några kräkningar. Den 11:te continuerade upkastningen, och litet blod visste sig dervid. Den 12:te äfven så, då mera blod visade sig. Den 13:de kände jag endast äckel, och lindrig Colik då och då. Den 14:de voro munnen och balsen så torra, at de liksom limmades tilbopa, och Blyhvitt syntes äfven i spotten, som och var krit hvit. Den 15:de hade jag åter Colik, med styfbet i knän, hvilken styfbet äfven 4 af de andre Officerarne fingo. Den 16:de insunno sig bnfvud-värk och äckel. Den 21:da uppretade Blyhvitts-materien åter Colik, flygande värk i bögra armen, men en fix värk i knän, uuder fotsålorna, och mellan sielfva benen i foten, at jag med möda kunde gå, hvilket och continuerade dagen derpå. Sedan begynte jag må väl, och återfick småningom krafterna, som af de många upkastningar ansenligen hade minskats. Skepps-Prästén hade de första dagarna stark upkastning och Colik, och på bonom så väl, som på Commendeuren för Soldaterne, svällde tandköttet up, och sår i munnen, som äfven gulnade, slogo ut, eburu den senare ej haft så våldsamma kräkningar eller stark Colik. Mot slutet af Jan. fick den förre åter en stark Colik,

lik, som svårligen gaf sig af *emollientia*: Den kom efter några dagar starkare åter, med en fullkomlig *Iliaca*. Hvarken skarpa *clistirer* eller stol-piller skaffade öppning; derföre sattes ett *clistir* af decocto *foliorum tabaci*, som ej beller balp, hvarföre det itererades, då öppning ficks, men Coliken med upkastning börde ej up, förr än en god dosis *Laud. liquidum* gafs.

Under-Kocken fick, efter några dagars förlopp, sedan första kräkningarna vero öfver, Colik, som gaf sig af vanliga medel; men kom åter, och blef mer och mer stark, och det så, at i början af *Februario* fruktades för *Enteritis*, ty han blef då nästan *ursuug*, och ville sticka sig buken up. Ådern öppnades derföre, och *clistir* sattes, hvaraf han fick lindring; men andra dagen ökades åter Coliken med *Iliaca*. Inga salta *clistirer* eller stol piller öppnade, ej beller i början *Clistir* af Tobaks decoct, förr än 2 å 3 förgäfvos blifvit satte. *Laudan. Liquid.* gafs, men det balp honom ej så fullkomligt, som de förra, utan skaffade lindring endast för liten tid; derföre lades öfver magen en spansk fluga, som aldeles balp; men han blef deraf liksom half-lam i lären, at han ej kunde gå, hvilken lambet dock småningom förgick.

Denna olyckeliga bändelse, som kostat mig sielf den mästa plågan, och lärt mig, at bädanester, på främmande orter i synnerhet, blifva mera granlaga i mat och dryck, visar

1:mo. Huru Blybvitte-matevien, eburu tung den är, med vätskorna blifvit omförd, äfven til de finare käril, hvaraf kom svullnad i körtlar och bu- den.

2:do. Huru den väl förorsakat nog stark Co- lik, men ingen Colika piclonum.

3:tio. Huru den kunnat excitera spottning, fast ej så stark, som Mercurius; och

4:to. Huru den höllit sig flygtigare i de miuke kropsens delar, men mera fix uti lederne och mel- lan benen.

Magna quidem verborum pompa contendit Cl. SEERUP in triumpho Lithargyriatorum omnia mala, quæ a Vini mangonifati potu obfervantur, non a Lithar- gyrio, sed ab acore potius Vini immaturi provenire. Concedimus SEERUPO Vina acida & austera! Ven- triculum offendere, nunquam tamen tanta cum vehe- mentia, pertinacia tantisque cum symptomatibus ac Vina mangonifata. Vinum rhenanum generosum, acidum præbens saporem, ægris febre maligna pressis multum affert solatii, idem vero generosum Vinum Lithargy- rio adulteratum Veneniferum est. Imo, ipsam Plum- bum, quod neque ignis vim, neque Aceti corrosio- nem sustinuit, noxium virus ministrat. Ex obser- vationibus FERNELII Arthriticum introducere lubet, cui Empiricus quidam Plumbi pulverem propinavit, atque spatio 15. dierum sesquilibram sumi curavit. Ab hoc pulvere Plumbi Dysenteria crudelis, febris stipata, exorta fuit, cum gravissimis non solum Ventris, sed etiam Ventriculi torsionibus, cruciatibus, ejusque quasi incendii interni molestissimo sensu & dolore. Al- vus claudabatur, appetentia cessabat omnis, corpus re- liquum Ictero foedatum erat,

Prima Vini Mangonifati Docimasia.

Varia nobis suppeditata sunt media ad Vinum explorandum Lithargyrio mangonifatum. LIQUOR PROBATORIUS, primum Vinorum poscens examen, conficitur e Calcis vivæ parte una, Auripigmenti parte dimidia & Aquæ destillatæ simplicis partibus sex, quæ digeruntur & per chartam colantur. Hac in commixtione Calx partem Sulphuream solvit Auripigmenti, unde *Hepar Calcis* pullulat atque exsurgit. Ad explorandum nunc dolum Mangonii, sumantur Vini suspecti Unciæ tres vel quatuor in Vitro nitido, huicque Vino infundantur guttulæ circiter triginta Liquoris Probatorii. Vinum Lithargyrio spurcatum statim turbatur colore nigro vel atramentofo. Ratio hujus Phænomeni in eo posita est, quod Hepar Liquoris Probatorii decompositionem subeat & aliena petat connubia. Est nimirum major affinitatis conjunctio inter Calcem & Acidum Vini, quam inter Lithargyrium & Acidum Vinosum, hinc Calx cum Acido combinatur, unde exturbatur Lithargyrium & una cum Sulphure colore nigro præcipitatur, quum a solutione Sulphuris alcalina omnia nigrescant Saturnina. Si vero miscetur Liquor Probatorius cum Vino immaturo, acido & austero, Calx quoque Sulphur præcipitat in sedimentum album, flavum vel Vinarii coloris, non autem in sedimentum nigrum, quia nullæ particulæ

ticulæ Saturninæ ipsi insunt. Ceterum Vina acida, aspera & austera nihil Lithargyrii habent, & hoc ipso ab omni mala suspicione sese liberant & exsolvunt, nam Vina Acida lithargyrifata dulcedinem semper continent. Docimasia hæc Vinorum, ope Liquoris Probatorii instituenda, certa quidem est & indubitata, interim tamen binam rebus his adhibere debemus cautionem. Primo ad Vinorum examina recenter paratus eligi debet *Liquor Probatorius*, inveteratus enim levem vel nullam mutationem efficit, in quacunque affundatur quantitate, nam particulæ Sulphureæ Liquoris Probatorii volatiles admodum sunt, & fugam maturant. Recens autem Liquor Probatorius mangonium prodit atro colore & in momento omnes Vini Lithargyriati partes penetrat. Vino puro & non adulterato in majori dosi recens additus colorem plerumque flavum inducit, qui vel tardius vel facilius, pro diversitate Acoris Vinorum, in sedimentum flavum præcipitatur. Secundo cavere debemus ne Vinum examini subjiciendum diu in lagena stannea asservetur. Observaverunt Vinorum exploratores, quod Vina, sine fraude doloque innocua, diutius in Vasis stanneis retenta, cum Liquore Probatorio nigrorem traxerint. Non semper hoc contingere credimus, fieri autem facile potest, si Stanno multum Plumbi inhæret, Vinumque valde austerum est; quo acidius enim Vinum est, eo citius arrodit particulas Saturninas, eo tardius, quo tenuius; Vappidum vel nimis tenue difficulter vel plane

plane non penetrat. Deprompta igitur ac emissa e
Dolio necessaria Vini quantitas, in Vase Vitreo, sine
ulla mora confestim & ocyus explorari debet.

§. VI.

Altera Vini Mangonifati Docimasia.

HEPAR SULPHURIS Alterum est medium,
vi cuius Vestigia Mangonii scrutamur. Conficere
illud præstat ex Salis Alkali fixi parte una & Sul-
phuris partibus duabus, quæ probe trita & com-
mixta in Sartagine terrea super ignem liquebunt.
Hepar hoc Sulphuris, in Aqua pura solutum, si
Vini Lithargyriati unciiis quatuor vel sex guttatim
instilletur, mox Vinum colore atramentoso turbat,
& postea in sedimentum nigrum præcipitat. In hoc
Experimento proximior adest affinitatis gradus in-
ter Sal Alcalinum & Acidum Vini, quam in supe-
riori inter Terram Calcaream & Acidum Vinosum.
Promptam igitur Sal Alkali subit unionem cum Acido
Vini, unde Lithargyrium & Sulphur ex sua sede
dimoveantur. Lithargyrium atrum contrahit colo-
rem ex Phlogosi Sulphuris, quum Phlogiston redu-
ctionem attentet. Curiosa omnino est illa Lithar-
gyrii reductio, quæ ope Hepatis Sulphuris sine omni
fusione institui potest, nam si Lithargyrium calore
digeratur cum Hepate Sulphuris aqua dissoluto, in
Plumbum resuscitatur & formam Metallicam acci-
pit. Nigror magis vel minus Vinum adulteratum

occe-

occæcat, prout magis vel minus Lithargyrio fuerit edulcoratum. Vina quæ multum Lithargyrii admixtum habent, aut sufficientem quantitatem Dulcificationi necessariam, illa constanter turbidam & nigram experiuntur mutationem, Vina autem Acida, nullo vitiata fuco, ex Hepate Sulphuris in colorem flavum præcipitantur, nullum vero nigrum acquirunt colorem. Mangonium Vinorum optime quoque ope **TINCTURÆ SULPHURIS VOLATILIS** potest de-
regi. Tincturam hanc **HOFFMANNUS** parare consuevit ex tribus partibus Calcis vivæ, Salis Ammoniaci duabus partibus atque Sulphuris una parte. His invicem mixtis repleatur dimidia pars Retortæ Vitreæ, & igne arenæ paulo fortiore administrato, instituatur Destillatio. Ita prodit Spiritus summe Volatilis, citrini coloris, Urinosus, sed propter admixtum Sulphur fetidissimus, in Vitro circumspecte custodiendus, quum aëre admissio fumum spargat, & facile in auras abripiatur. Processum hunc in tuto collocavit Cl. **BAUMÉ** Uncias aliquot aquæ addens, ne Sulphur inopia humidi accendatur & explosionem faciat. Tinctura hæc Sulphurea *Hepar* quoddam *Sulphuris Volatile* continet, ad Examen Vinorum idoneum, quum Vina mangonifata pariter atro notet calculo. Ceterum, in hoc examine Vinorum, easdem adhibere debemus cautelas, quæ in superiori Paragrapho recensentur.

§. VII.

Ultima Vini mangonifati Docimasia.

Utut Color niger & atramentosus infallibile fit signum Vini Lithargyrio dulcificati, memori tamen pectore notari oportet, quod Liqueor Probatorius & Hepar Sulphuris plurima Metallorum genera, in Acidis soluta, atro colore tingant. Si Vitriolum Martis in Aqua solvatur, huicque solutioni Liqueor infundatur Probatorius vel Hepar Sulphuris, mox habebimus liquorem nigrum. Idem color atramentosus emergit, si Vitriolum Veneris, vel Saturni vel Lunæ cum Liqueore Probatorio vel Hepate Sulphuris miscetur. Solus igitur color niger & atramentosus non semper Mangonium Lithargyriatum involvit & denotat, nisi Vinum pariter dulcem contineat saporem. Saturnina sola Vinis Acidis dulcedinem conciliant, cetera Metallorum genera nihil plane dulcedinis conferunt. Qui contendunt Vismutum & Zincum Vina dulcificare, ii veritati refragantur omnino. Interim tamen citatis passibus ad ultimum Vinorum examen appropere debemus. Congii duo Vini mangonifati super ignem evaporentur ad siccum, Residuumque in tecto crucibulo fusionem subeat. Si parvulus post fusionem inveniatur Plumbi Regulus, evidenter videmus Vinum Lithargyrio vel aliis conspurcatum esse Saturninis, si autem purum & non fucosum sit, nullus ejusmodi regulus deprehenditur. Recte quidem monet Cl. ZELLER de

Noxis

Noxis Vini Litharg. mang. ut faeces Vinorum sensibus externis discutiantur, quum multæ particulæ Saturninæ a Vino secedant ad fundum, & hinc vel gryseæ sint, colorem Lithargyrii referentes, vel splendentes & specularis nitoris, a tæniis sulphuratis. Sed longe melius est viam fusionis persequi, ut particulæ Saturninæ a fæculenta ac oleosa materia reducantur & metallicam adipiscantur formam.

Obs. Medicus ergo, qui a JUDICE apellatur, ut suam de Vinis suspectis ferat sententiam, ternas hac in Dissertatione nuncupatas Docimasias sedulo exercabit, ne unquam captiosa quadam probabilitate fallatur, vel cæca ducatur suspicione.

FINIS.



...the

... ..

FINIS

